

Franckesche Stiftungen zu Halle

Adami Rechenbergi[i] Svmmarivm Historiae Ecclesiasticae

Rechenberg, Adam

Vitembergae, MDCCLXVII

VD18 12484725

Sectio I

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha55-1-213274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha55-1-213274)

Principum potentia uel tyrannide uixi impedierant? Factum tamen, cum maturuisset necessitas reformatae Ecclesiae, ministerio hominis, qui magnis et sapientibus seculi uiris, uilis et abiectus uidebatur. Ita DEVS sapientiam hominum confundit, quando sua causa agitur: ut ipsi pro ineffabili sapientia et bonitate in genus humanum, debitas laudes ac gratias reddamus, puraque mente, quod efficacissimum semper rogandi genus fuit, beneficia eius in nos collata praedicemus uitamque Euangelio dignam agamus. Fructus Reformationis ELIAS VEILIVS de Hist. et Necessit. Reformationis Evangelicae per Lutherum feliciter institutae Sect. V, Art. V, p. 427, seqq. recenset.

PERIODI V HISTORIAE ECCLESIASTICAE

CAPVT II

DE

HISTORIA SECVLI XVII

IAM DECURRENTIS

Praecipitantis huius seculi res prosperae et aduersae, quod Ecclesiam attinet, quidem multae sunt annalibus dignae; sed nos instituti memores, potiores strictim tantum attingemus, et memoriae rauandae causa, eas in quinque Sectiones dispescemus.


SECTIO I


In prima hac Sectione, res ab initio Seculi, ad annum decimum septimum, quo Lutherani Iubilaeum celebra-

Prin-

Ed.

lebra-






lebrarunt, memorabimus DOCTORES et SCRIP-
PTORES, qui in nostra Ecclesia hoc tempore in-
claruerunt, praecipui fuere Aegidius Hunnius, Leonhar-
dus Hutterus, David Rungius, Polycarpus Lyserus,
Salomon Gesnerus, Georgius Mylius, Philippus Nicolai,
Io. Forsterus, Fridericus Balduinus, Zacharias Schilte-
rus, Henricus Hoepsnerus, et alii Saxonici; Deinde in-
ter Suenicos, Iacobus et Philippus Heilbrunneri fratres,
Felix Bidenbachius, Stephanus Gerlachius, Matthias
Hassenrefferus, Theodorus Thummius; inter Argento-
ratenfes, Ioh. Pappus, Philippus Marbachius; inter
Hasslicos, Baltas. Menzerus, Iohannes Winckelmannus,
et alii, quorum scripta PAVL. GOLDVANNUS in Bi-
blioth. Theol. GEORG. DRAVDINUS in Officin. omni-
libr. G. MATTH. KOENIGIUS in Biblioth. Vet. et Nou-
et HENNINGIUS WITTE in Dec. Vit. Theol. de Dia-
rio Biographico, recensent. Inter Reformatos Fran-
conius, Amandus Polanus a Rolanddorf, Is. Casaubonus,
Matthias Antonius, Sadeel, Ludonicus Crocius, David
Pareus, Barthol. Keckermannus, Paulus Tossanus, Abra-
hamus Scultetus, Ioh. Piscator, Iacobus Arminius, Fran-
ciscus Gomarus, Nicolaus Vedelius, et alii, qui in Ca-
talogis Biblioth. Thuanae, Heinsianae et Orseliandae
memorantur. Inter Pontificios eminent Caesar Baro-
nius, Robertus Bellarminus, Cardinales Gabriel Vasi-
quez, Franciscus Suarez seu Suazius, Georgius de Va-
lentia, et alii in Bibliotheca Hispana a NICOL. ANTO-
NIO memorati. Iesuitarum Germaniam turbantium
Tanneri, Hungeri, Grieseri et Foreri nomina, ex scriptis
ipsorum aculeatis nota satis sunt. Igitur omissa aliorum
recensione ad rerum enarrationem progrediemur.

§ 12. Romae, Clemens VIII. Papa, Jubilaeum anno
MDC. celebrat, et cum Tiberis exundasset, unum (ut
uocant)

uocant) *DEI* cum hostia consecrata in eam, certis adhibitis ritibus, prolici iussit, ut exundatio sisteretur. Duo etiam *Breua*, quae uocantur, ad Catholicos in Anglia misit, unum ad Clerum, alterum ad populum; ut operam nauarent, quantum in ipsis sit, quo mortua *Elisabetha*, Rex erga catholicam Religionem bene affectus eligeretur; teste *BELLARMINO Resp. ad Apolog. pro iur. fidel. p. 56, 57, ut, conf. THUAN. Lib. CXXVI, et HEIDEGGERI Hist. Papar. pag. 287.* In reuera in *Styria* Aug. Confessione addictis, liberum Religionis exercitium interdicitur, ministris Ecclesiae in exilium missis.

§. 3. In *Germania* an. *MDCII* Marchio *Badensis*, *Ernestus Fridericus*, ministros ecclesiae, secundum formulam libri *Staffortici*, quae *Calani* placita continebat, docere iussit. Cui mandato *Pforzheimenses* parere recusarunt. Sed intercedente postea Marchione *Georgio Friderico*, *Ernesti* fratre, illis religionis libertas permessa fuit. Hoc anno, ex uoluntate *Maximiliani* *Bauari* et *Ludouici* *Palatini* *Neoburgici*, *Ratisbonae* Pontificiorum inter et *Lutheranos* Theologos Colloquium institutum, quod *XIV* Sessionibus habitis, absque fructu terminatum est. Nam collocutores Pontificii, *Hungerus*, *Gretserus*, et *Tannerus*, summum controuersiarum iudicem Papam *Romae* esse clamabant; contra *Aegidius Hannius*, *Heilbrunneri* fratres, et alii praesentes Theologi *Lutherani*, solam Scripturam s. controuersiarum theologicarum normam esse demonstrarunt. Vid. *Acta Colloquii istius publicata*, *OSIANDRI Hist. Eccles. p. 117, et KORTH. Hist. Eccl. Sec. XVII, pag. 869.*

§. 4. In *Anglia*, *Elisabetha*, Regina, uiuis excesserat, cui an. *MDCIII* *Iacobus VI*, Rex *Scotiae*, in regno successit.



successit. Quem una omnium voce Regem salutatum, Iesuitae uel in partes suas pertrahere, uel e medio tollere machinabantur. Vix enim inauguratus fuerat, quum ex improviso coniuratio aduersus eum detegere-
tur. Vid. THVAN. *Lib. CXXIX*, et LVNDORF. *Cont. Sleid. Tom. III, Lib. IX*. Hoc anno in *Delphinatu*, Theologi Reformati *Synodum Vapincensem*, de instan-
tanda Lutheranos inter et Reformatos concordia, cele-
brarunt. In qua inter alia de sententia *Iohannis Pisca-*
toris, Professoris Herborenensis, pertractatum est. Qui
errorem *Parfimoniae*, iam olim a *Brentio* confutatum
reuocauerat; Christi *Obediendam actiuam* nostram iu-
stificationem non ingredi, cum eam pro se tanquam crea-
tura legi diuinæ debuisset praestare. Enimuero Syno-
dus illa hanc sententiam reiecit atque improbavit.

§. 5. In Anglorum Synodo *Londinensi* an. MDCIV
instituta, Religio reformata iam ante recepta confirma-
tur, Regisque suprema in ecclesia Anglicana auctori-
tas asseritur; S. Coenae trina perceptio minimum
quotannis mandatur; baptismum infantum admini-
strare parentibus laicis interdicitur, crucis ceremonia
in baptismo, sed cum cautelis, permittitur. Vid.
THVAN. *Lib. CXXXI*.

§. 6. Interea in *Romanensi* Ecclesia, dissidia intestina
exorta sunt; cum Iesuitae assererent, credere Papam
tunc Romae sedentem, *Clementem VIII*, esse legitimum
S. Petri Successorem, non esse ex articulis fidei; de-
fendebant etiam, confessionem, quae inter Sacramenta
Ecclesiae habetur, per epistolam et praecursores edi
posse. Id, quod alii negarunt. Verum Papa haec li-
tigia in herba uelut opprimere consulum putauit.
Maioris momenti controuersia fuit *Molinistica*, a *Lu-*
donico Molina, Iesuita Hispano, anno MDXCI iam
excitata,

excitata; sed quae hoc tempore uelut in neruum erupit. Nam is de *auxiliis gratiae*, Salmanticae disputans, plus hominis arbitrio in conuersione sua tribuebat, quam *Dominicani*, qui praedeterminationem gratiae diuinae asseruerant. Hinc Iesuitae *Molinam* defendentes ab his *Pelagianismi*; illi uicissim a Dominicanis *Caluinismi* postulabantur. *Clemens*, Papa, cum pro Dominicanis pronunciaisset primum, Iesuitae eum (sed ut Doctorem priuatum) erroris arguere non dubitarunt. Quapropter post uarias disputationes, et consultationes Romae habitis, *Paulus V*, Papa, utriusque partis offensas metuens, utrique tandem etiam silentium imposuit, quo uelut per amnestiam lis illa componeretur. Vid. HVLSEMANNI *Diatrib. Scholast. de Auxil. Gratiae* p. 29, et IO. WOLFG. IAEGERI *Hist. Eccl. Decenn. 1*, p. 167, seqq.

§. 7. In *Thuringia*, *Isaias Stifelius* et *Ezechiel. Meth.* an. MDCIV *enthusiasmi* postulati sunt; quod uisiones ac somnia diuina iactassent, ac ministerium ecclesiasticum reiicientes, illum coetum tantum ecclesiam ueram esse affirmassent, qui omni macula et ruga, h. e. peccatis et infirmitatibus careret. Vid. KROMAYERI *Hist. Eccl.* p. 657, seqq. Opposuit illi sese *Boehmius* scriptis, quae inter reliqua eius opera Amstelodami excusa prostant. Innotuit hoc tempore Societas *Fratrum Rosae crucis*, (*Rosen-Creuzer*), qui feruntur nomen a quodam *Christiano de Rosencreuz*, aurei lapidis equite habere. Hunc autem circa exitum Seculi XIV Spiritus S. lumine collustratum, philosophiam sublimiorem calluisse, et Sectatores suos, sub iurisiurandi formula obstringasse, ut regulas uitae praescriptas sibi seruarent, nec arcana disciplinae suae (inter quae et *Hermetica* refertur) eliminarent. Vid. ANDR. LYBA-

VIVM in libello: Wohlmeynendes Bedencken von der
Forma und Confession der Brüderschaft &c. et KRO-
MAYERI *Hist. Eccl.* p. 655.


§. 8. Marburgi anno MDCV noua inter Lutheranos
et Reformatos dissensio erupit. Nam Mauritius, Land-
grauus Hassiae, cui ditio Marburgensis per obitum
Ludouici patris sui obuenerat, Caluini placita Marbur-
genses sequi iussit. Illa uero amplecti D. Winckel-
mannus, Balthasar Menzerus et Henricus Leuchterus
recusarunt. Quapropter his ex Academia dimissis, et
a Ludonico, Giessae in noua Academia constituta rece-
ptis; Valentinus Schonerus, cum pro concione publice
Reformatorum placita instillare primum ausus esset,
plebs ad templum conuolauit, huncque pastorem male
multatum e suggestu paene semianimem deturbauit.
Vid. THVAN. *Lib. CXXXIII.*


§. 9. Hoc anno post excessum Clementis VIII, ma-
gna in conclauis contentio inter Cardinales, propter
electionem noui Pontificis, suborta est. Quam histo-
riam Cardinalis FERRONIVS, et TAEGERVVS *Hist. cit.*
Lib. VI, cap. 1 et 3, describunt. Tandem factione Gal-
licana praeualente, fauore eius Paulus V electus est,
qui se Vice-Deum, Christianae reipublicae monarcham
inuiolissimum, et Pontificiae omnipotentiae conseruato-
rem acerrimum salutari passus est. Vid. HEIDEGGE-
RI *Hist. Papat. pag. 322*. Per id tempus Pseudo-De-
metrii in Moscouia a Iesuitis, ut creditur, subornati,
magnas turbas dedere. De quibus RIASECIVS *Chro-
nic. fol. 222*, sequi agit.

§. 10. In Angliā, eodem anno dirissimum Iesuita-
rum consilium, aduersus Regem, leui sane indicio pa-
refactum est. Nam illi homines scelerati, coniuratio-
ne facta, cellam subterraneam aedibus Westmonasteriae

subiectam conduxerant; quam XXXVI doliis pulueris nitrati completam incendere instituerant, ut Rex, Principes, omnesque Ordines in comitiis Angliae congregati, seu fulmine icti et in sublime iactati, una inter-
 necione delerentur. Vnde ista *conjuratio pulveraria* dicta est. Quam CAMDENVS peculiari libro, cui titulus est, *Actio in Henricum Garnetum Soc. Iesuit. in Anglia Superiorem etc.* THYAN. *Lib. CXXXV*, IS. CASAVBONVS *Epist. ad Frontonem Ducaem pag. 704*, seqq. et IO. BANCLAIVS *sub finem Euphorm.* describunt. Decretum inde ab Ordinibus Regni, ut omnes ac singuli ciues atque incolae iurciurando adacti *Iacobum*, legitimum dominum suum agnoscerent, ipsique parerent; neque Pontifici Rom. aut regnum abrogare Regibus, aut subiectos, officio magistratibus debito soluere licere. Quod decretum cum Pontifex, Bulla edita, reliqueret; ipse Rex *Apologiam pro Iuramento Fidelitatis* adornauit. Hanc Bellarminus, sub nomine *Matthaei Torti*, oppugnauit; sed a Rege Praefatione monitoria, ad omnes Principes Christianos publicata, uicissim confutatus. Conf. IOHNSTONI *Hist. Lib. XXXIII*, FIASEC. *Chron. fol. 256*, seqq. et IS. CASAVBONI *Epist. ad Frontonem Ducaem*, quae in Graeuiana editione est, DCXXIV.

§. II. Hoc tempore Paulum V, Pontificem praeferuidum, Veneti offenderant; quod publico edicto sanxissent, non licere bona immobilia in Clericos transferre, nec templa et monasteria noua absque Senatus consensu erigere, aut Clericos grauiora crimina admittentes iudicio magistratus ciuilis eximere. Has et alias ob causas, Pontifex fulmine excommunicationis Venetos satis imprudenter ferit. At illi Iesuitas editione sua eiicientes, *brutum illud fulmen*, per Paulum





lum Sarpium et Iohannem Marsilium, perstrinxerunt et confutarunt; cum Baronius et Bellarminus causam Papae frigide satis defenderent. Vid. LAEGERI *Hist. Eccl. Lib. VII, c. 1.* Interim cum ad arma res spectaret, Rex Galliae Henricus IV Pontificem ad mentem saniozem reduxit. Nam orator eius illi persuaserat, Venetos clam ad se euocatis Geneua Sacerdotibus, moliri ab Ecclesia Romana defectionem. Quo audito, Pontifex cum illis in gratiam rediit. Vid. THVAN. *Lib. CXXXVII, LVNDORFII Cont. Sleid. Tom. III, Lib. XII, XIII, et PIASEC. Chronic. fol. 243, seqq.*

§. 12. In Germania interim Professor Helmstadiensis, Henricus Boetius, nouo litigio ansam dederat, cum publice asseruisset, fructum resurrectionis Christi ad omnes homines indifferenter, pios ac impios pertinere; ita, ut impii etiam ui ac uirtute resurrectionis Christi aliquando resurrecturi essent. Quam sententiam D. Balduinus Wittebergensis Theologus, confutauit, demonstrans ui iustitiae impios resurrecturos esse, ut iudicium Christi iusti iudicis subeant.

§. 13. In Sueuia, Donawerdae Abbas coenobii S. Crucis nouam tumultus ansam an. MD. CVII dedit. Ciuitas enim illa Imperii Aug. Confessioni addicta, a Caesare proscripta et priuilegiis exuta, Banariae Duci adjudicata fuit ideo, quod plebs Abbatem sua publica sacra (*Processionem* uocant) praeter solitum, per urbem exercere tentantem impediisset, omnemque eius apparatus et pompam disturbasset. Insolens poena haec omnibus Protestantibus uidebatur, qui Donawerdenfes inauditos, pro innocentibus habebant. Vid. THVAN. *Lib. CXXXIIX.* Anno MDCHX Cracouiae Sociniani Catechismum publicauerant, quem Theologi Wittebergenses confutarunt. Vid. *Consilia Theol. Witteb. fol.*


661, seqq. Per id tempus *Anti-Trinitarii* etiam per Germaniam uirus suae doctrinae sparsere; eoque *Altorsianam* Academiam infecerunt. Vid. RYARI *Epistol.* §. 14. Anno MDCIX Romam Persarum Regis legatus uenerat: Quem cum Pontifex regio splendore excepisset, effecit, ut liberior transitus in Persidem religionis, quos uocant, *missionariis* ad disseminandam doctrinam Romanensem concederetur. Vid. PIASEC. fol. 258. Quo tempore *Rudolphus II*, Imper. rogare Electore Sax. *Bohemis*, *Silesis* et *Morauis* pleniorē religionis Evangelicae libertatem indulgit, eamque diplomate, seu ut uocantur, *litteris Maiestatis* confirmauit; multum licet indignantibus Papa, Hispanis et Iesuitis. Vid. PIASEC. *Chron.* fol. 312, et D. IAEGERI *Lib. X*, cap. 1. Templorum ualuis, in antiqua urbe Pragensi, affigebatur carmen:

Templa putent, Leo laetus ouat, firmante Rudolpho,
Quantū de ceteris Fidei, Maximiliane, fidem.

Vid. WENGERSCHII *Hist. Eccl. Slauon. Lib. I*, p. 60.

§. 15. Lugduni Batavorum *Jacobus Arminius* sacras litteras professus, a trita Reformationum doctrina, in certis partibus recesserat; puta in quinque articulis, de Praedestinatione, Redemptione per Christum facta, Libero hominis arbitrio, Conuersionis gratia et Perseuerantia in fide. Huic *Franciscus Gomarus*, collega eius se primum obiecit; docens, aeterna et immutabili DEI lege fixum, cui hominum salus destinaetur, quis in exitium tenderet; inde alios ad pietatem trahi, et tractos custodiri, ne elabantur; relinqui alios comuni humanitatis uitio et suis criminibus inuolutos. Vtroque horum multos adsectatores nacto, scissa non modo Ecclesia Reformationum fuit, sed ipsa Batavorum

res-



respublica tumultu postea conquassata. Neque enim cum *Arminio* hoc anno MDCIX uita functo sepulta fuit discordia, sed uehementius excitata: unde sectarum nomina *Arminianorum* et *Gomaristarum*, quae mox in *Remonstrantium* et *Contraremonstrantium* uocabula transferunt. Vid. H. GROT. *Hist. Lib. XVII, fol. 552, seq.* IAEGERI *Hist. Eccles. Lib. IX*, et SPANHEM. *Elench. Historico-Theolog. Controu. cum Arminianis.*


§. 16. Rex Hispaniae, *Philippus III*, induciis cum Batavis in duodecennium an. MDCIX pactis, insequenti anno, suasu *Francisci Sandoual*, Ducis Lermenfis, nouies centies *Maurorum* millia ex Hispania eiecit. Horum enim posteri Christianorum sacra professi, res nouas moliebantur, atque a Rege Galliae, *Henrico IV*, clam auxilia petierunt. Vid. MARIANA *Hist. Supplem. ad hunc annum pag. 41.*


§. 17. Hoc tempore, *Vnio Evangelicorum*, seu foedus quorundam Protestantium *Halae Sueuorum* coaluit. Eius autor et Conciliator Elector Palatinus *Fridericus V* erat. Qui machinationes Iesuitarum, quorum autoritas magna in aulis Principum Catholicorum fuit, animaduertit, ne in ipsum ac ceteros, quos uocabant Calvinianos, uis Pontificiorum primum erumperet; cum exemplum *Donawerdae* ante oculos uersaretur. Accesserant illi quidam e Lutheranorum Ordinibus. Sed Elector Sax. istam unionem constanter auersabatur; etsi ad uim, si inferretur, propellendam tantum spectaret. Cui mox aliud Pontificii foedus, quod *Ligam Catholicam* uocabant, *Wurtzburgi* conuenientes opposuere. Huius dux, *Maximilianus Bauiarus*, Protestantibus maxime infensus princeps, electus est. Vid. PUFFENDORFII *Rerum Suecic. Hist. Lib. I, §. 18 et 19.*

§. 18.

§. 18. Dum haec in Germania fiunt, in Gallia Rex *Henricus IV.* Hugonotorum patronus adhuc, sceleratissimi sicarii, *Francisci Rauillac*, Iesuitarum discipuli manu, anno MDCX peremptus occumbit. Vid. *Cont. THUAN. Lib. III, p. 84*, et *GRAMMOND. Hist. Lib. I, p. 7, seqq.* Quo tempore confutatio doctrinae *Marianae* prodit, autore Patre *Cotono*, qua iuxta Constantiensis decreta Concilii, erroneae assertiones damnabantur Societatis IESV nomine. Damnatus item Parlamenti Lutetiani placito *Bellarmini* liber, quem in *Barclaium de Potestate Rom. Pontificis* scripserat. Intercedebat autem Nuntius Papae, obtinebatque per Reginam, ne manu carnificis combureretur. Eodem anno prodit Cardinalis *Baronii Tom. XI. Annali-um*, in quo Hispaniae regibus negat esse in Siciliam iura, qualia possident. Regis igitur Catholici edicto, opus illud reiicitur, ipseque autor non multo post, factione Hispana, a prima sede excluditur, ad quam suffragiis multorum Cardinalium vocabatur, teste *GRAMMONDO Lib. I, Hist. p. 10.* Iesuitis interim in Gallia praecipitur, ut, nisi regno eiici iterum uelint, quatuor hos articulos adprobent: 1) Papam nullum habere ius in Reges: 2) Concilium esse supra Papam: 3) Clerum a politici magistratus iudicio non esse exemptum: 4) Confessionem auricularem, si uitam Regis concernat, non esse reticendam. Vid. *IAEGERI Hist. Eccl. Decad. II, Lib. XI, c. 4.*

§. 19. Sub initium anni MDCXI *Aquisgrani*, ob liberum religionis exercitium Protestantibus interdictum, tumultus exoritur. Quo sedato, Protestantibus extra urbem sacra sua obire permissum fuit. *Hagae* autem Comitibus inter *Gomaristas* et *Arminianos* Collatio
fine





sine fructu instituta fuit, quam *TAEGERVVS Hist. Eccl. Decad. II, Lib. I, cap. 7*, describit.

§. 20. Ordines interim foederati in *Belgio* anno MDCXII edicto promulgato, prohibent; ne Iesuitae in suis ditionibus scholas habeant, aut Missas celebrent. Hac de causa in *Belgio* Regio, uicissim reformatae religionis ministris, intra XIV dies emigrare mandatum fuit. Vid. *PIASEC. Chron. fol. 282*.


§. 21. In *Misnia* hoc tempore *Valentinus Weigelius*, pastor *Tschopauensis*, nouae haeresis postulator fuit; quod fanatica dogmata sub nouis et portentosis uocalibus sparsisset. Ideo *Nicol. Hunnius*, *Theodorus Thummius in Impietate Weigeliana*, et *Ioh. Crocius in Anti-Weigelio*, calamum aduersus scripta eius strinxere. Eodem tempore *Iacobus Boehmius*, furor *Goerlicensis*, diuino afflatu se regi ferens, libram sub titulo *Auro-rae* (*Morgenröthe*) conscripsit, qui nouos motus excitauit, aliis *Boehmium* ceu nouum *Philosophum Tenzonicum* defendentibus, aliis damnantibus. *KORT HOLDI in Hist. Eccl. Sec. I, cap. 2*, de eius dogmatibus iudicium est: Quod alias, ait, ad dogmata *Boehmii* attinet, quae in libris eius sparsim continentur, uix quisquam accuratum eorum texet catalogum; cum ex obscuris et ambiguis uerbis nunc hos, nunc illos sensus extorquere liceat. Vid. *Acta Boehmistica praemissa eius Operibus Amstelodami an. 1682* euulgata.


§. 22. *Matthias*, Imperator, an. MDCXIII *Ratisbonae* comitia indixerat, in quibus *Vnioni* adscripti Protestantes saepius ingestas querelas, contra enormem iudicii aulici auctoritatem, Tribunalque *Spirense* in Pontificios prouum ingeminabant; simul quod decretum *Augustinum* in alienos sensus traheretur, et ipsorum salus in lubrico poneretur, si, quod hactenus factum erat,

erat,

erat, suffragia in conuentibus Ordinum circa negotia religionis, et alia ad statum ipsorum pertinentia, numero ualeant, quo semper Pontifici uincere possent. Enimvero istae querelae frustra fuerunt. Vid. PUFFENDORF. *Rer. Succ. Lib. I, §. 10.* Hoc tempore Cyrillus, Patriarcha et Papa Alexandrinus, epistolam ad Ioh. Vytenbogartum de statu Ecclesiae Graecae in Aegypto exarauit, quam IAEGERVS *Hist. Eccl. Decad. II, Lib. III, cap. 5,* inseruit.

§. 23. Anno insequenti, cum Sigismundus, Elector Brandenburgicus, religionem Reformatam, et Wolfgangus Wilhelmus Palatinus, Dux Neoburgicus, Pontificiam amplexi essent; noui in eorum ditionibus animorum motus, ob religionem Lutheranam mutatam, excitati sunt, de quibus in *Mercurio Gall. Belgic.* legi potest. Non minores in Hispania motus concitauit controuersia, de conceptione Mariae Deiparae, *maculata, an immaculata sit?* Nam Franciscus a San. Iago, Ordinis Minoritarum monachus, praemonitum se aiebat a diua Virgine Guadalupensi, in signum annulo accepto, de futuro post aliquot annos (non tamen sine contradictione et tumultu) incremento uenerationis et cultus erga suam immaculatam conceptionem. Hinc magnae per Baeticam prouinciam de conceptione immaculata Mariae festiuitates institutae, affixa tropaea *Marianae de peccato originali uictoriae.* Inde certamina inter Dominicanos et Franciscanos acerrima. Quae cum Rex ipse componere nesciret; Romam misit legatos, ut a Pontifice controuersia terminaretur. Verum ille utriusque litigantis partis offensam ueritus, super ista pronunciare ex cathedra superseuit. Acta huius litigii IAEGERVS, *Hist. Eccl. Decad. II, Lib. IV, cap. 1,* recenset.





§. 24. Anno MDCXIV. *Davidis Parei*, Theologi Heidelbergensis, *Liber notius*, cui titulus *Irenicum* siue de *Vnionē et Synodo* publicatus, quo Lutheranos ad Syncretismum in unitate Spiritus, per uinculum pacis in mansuetudine, tolerantia, moderatione et charitate Christiana incundum inuitat, nouas in Ecclesia lites peperit. Nam illum *D. Sigwartus*, Tubingensis Theologus, mōx confutauit. Inde origo controuersiarum de *Syncretismo* in Germania postea enatarum arcessitur. Et si in Synodo *Sandomiriensi*, seculo antecedenti, id uocabuli simili sensu usurpatum legatur. Liber *Conradi Vorstii de DEO et attributis* eius in Anglia iussu Regis ad ignem damnatus fuit, memorante *IS. CASABRONO* *epist. ad Petronium Cardinalem*, p. m. 899, sed *Andreas Reuchlinus*, hoc anno, ea propter *paranesin* ad *Casabonum* grauissimam euulgauit, quae inter *Epist. Arminianorum* p. m. 422, seqq. legi meretur. Enimvero *Vorstium* a *Socinianismi* labe non fuisse immunem, ipsius scripta, puto, loquuntur.

§. 25. Hoc anno, comitia generalia *Lutetiae Parisiorum* regis literis indicta sunt; ut de suprema Regum auctoritate in temporalibus, aduersus Papam Rom. et eius parasitos statueretur. Nam compertum fuerat, hoc ipso anno *Franciscum Suarem*, Iesuitam Hispanum, librum iuris publici fecisse, quo pestilens dogma, Pontificem Rom. ius uitae ac necis in Reges habere, asseritur. Historiam rei gestae et momenta causae doctissimus Sorbonista, EDMUNDVS RICHERIVS, *Libro de Potestate Ecclesiae in rebus temporalibus an. 1692* publicato *Lib. I*, et GRAMMONDVS *Lib. I, Hist. pag. 57, seqq.* exponunt.

§. 26. In Germania Dux Neoburgicus, nuper sacra Pontificia professus, an. MDCXV, subiectos suae di-


Cc

tioni

Reichenb. H. E.

tionem eadem amplecti, missasque frequentare iubet. Habitum hac de causa *Neoburgi* fuit colloquium, inter *Iacobum Heilbrunnerum* et *Kellerum* Iesuitam, qui illius librum, *Uncatholisch* Pabstthum, impugnavit. *Valentinus Smalcus*, Socinianus, *Commentarium* cap. I, *Iob*. Senatus Argentoratensis hoc anno inscripserat, qui illum, ut Photinianismi suspicionem amoliretur, reiecit atque refelli curavit. In Belgio Ordines Hollandiae et Westfrisiae, *Arminianorum* et *Comarissarum* contentiones invalescentes magis, publicato decreto componere student. Quod studium Rex Angliae *Iacobus* approbavit. De aliis controversiis sacris, hoc tempore in Belgio foederato agitis, ut *D. Molinai*, *Vorstii*, *Socinianorum*, *HUG. GROTIJ* Epistolae, hoc anno exaratae legi merentur. §. 27. Anno insequenti, in Gallia tum ob receptionem *Concilio Tridentini*, tum ob *foedus Condaci* principis cum *Hugonotis* initio, factiones exortae, quas *GRAMMONDVS* *Lib. II. Hist.* describit. Romae Pontifici nolenti fuit intelligere, *M. Antonium de Dominis* Archiepiscopum Spalatensem, ad Reformatos transisse, et Londini coram Rege *Iacobo*, Romanensem religionem eiurasse; praesertim cum libros *de Republica Ecclesiastica* divulgasset. Quanquam, ut erat in religione uertumnus, postea Romam redierit. Vid. *GRAMMONDI Hist. Lib. III, pag. 196. D. IAEGERI Decad. II, Lib. VI, cap. 1, seqq. et Epist. GROTIJ* ad ipsum exaratam *fol. 44*. In Gallia etiam hoc tempore, a Rege, Iesuitae facultatem scholarum in omnes scientias, obluctante licet Sorbonna et obstrepente Senatu Parisiensi, obtinent. Vid. *GRAMMOND. Hist. Lib. III, pag. 197, seqq.* Pontifex Rom. *Paulus V*, a Rege Catholico denuo sollicitatus, ut controversiam *de Conceptione S. Mariae*

t.
r
l-
t.
I,
ui
e-
a-
m
o
o-
oc
i,
oc
o.
n-
is
n-
is
r-
e-
ca
o-
A-
d.
a-
e,
t-
i,
b
o
s.
r



Marias decideret; respondit, *Spirit. S.* (quem alias in pectore se habere iactat) *sibi nondum reuelasse.*

§. 28. Interea per prouincias Caesaris, religio Protestantium latius se diffuderat. Quia *Maximilianus II* amplissime illis de Aug. Confessionis doctrina cauerat, adhibitis in consilium *Ioachimo Camerario* et *Dauide Chytraeo*, clari nominis inter Lutheranos uiris. Id priuilegium a *Rudolpho II* confirmatum cum post *Matthias* abolere conaretur; Austriaci captis armis, copias ipsius profligarunt; ut tunc quidem coeprum persequi non auderet. Bohemi autem *literarum Maiestatis* fide nixi, sibi tutiores uidebantur. Enimuero Iesuitae, rem astu gerentes, iam consilia evertendae Aug. Confessionis doctrinae agitarant; quae cum *Ferdinandus II* Imperator esset factus, eruperunt. Is enim eo usque pro Romano cultu incaluerat, ut aperte profiteretur, malle se uitae omniumque bonorum iacturam facere, quam sacra ab isto diuersa in suis diuisionibus tolerare. Vnde postea in Ecclesia protestantium longa malorum series.

§. 29. Inter has uero Iesuitarum molitiones, anno MDCXVII, Elector Saxoniae, *Joh. Georgius I*, in memoriam secularem coeptrae Reformationis, *Iubilaeum* solennissime celebrat. Vid. *WECKII Chronic. Dresdens.* fol. 320. Cuius pietatem alii quoque Status Protestantes per Germaniam imitati, similes festiuitates instituere, quas *GRAMMONDVS*, ut est hac in parte dicax, *Lib. II, Hist.* false et etiam inepte perstringit.

